

SANCTI FULBERTI

VERSUS

DE UNCIA ET PARTIBUS EJUS ET DE SCRUPULO.

(Edidit Carolus de Villiers, theologus Parisiensis, in notis ad epist. 115 Fulberti, Biblioth. PP. tom. XVIII, pag. 55.)

De uncia et partibus.

Uncia viginti scirpulos et quattuor ambit :
 Dimidium stater ac semiuncia dicitur ejus;
 Terna dracæ seckæ pars est eademque duella;
 Quarta siclus vel sicilicus vel denique sicel :
 Sextula sexta modo solet et modo secla vocari ;
 Octavam appellant dragmam.....

De scirpulo et partibus ejus.

Unus item scirpus calcis componitur octo,
 Dimidium scirpuli est obul, pars quarta cerates ;
 Hinc sextam fingi placuit sextamque vocari :
 Ultimis est calculus, cicercis duo granula pensans.

PROCLAMATIO

ANTEQUAM DICANT PAX DOMINI

Composita a domino FULBERTO pro adversariis Ecclesiæ.

(Dunod, *Histoire de Besançon I, Preuves, p. VIII*)

In spiritu humilitatis et in animo contrito ante sanctum altare tuum et sacratissimum corpus et sanguinem tuum, Domine Jesu, Redemptor mundi, accedimus, et de peccatis nostris, pro quibus juste affligimur, culpabiles coram te nos reddimus. Ad te, Domine Jesu, venimus, ad te prostrati clamamus, quia iniqui et superbi, suisque viribus confisi, undique super nos insurgunt. *Terras Sancti Joannis et Sancti Stephani invadunt, deprædantur et vastant.* Pauperes tuos cultores earum in dolore et fame atque nuditate vivere faciunt. Tormentis etiam et gladiis occidunt : nostras etiam res unde vivere debemus in tuo saneto servitio, et quas beatæ animæ huic loco pro salute sua reliquerunt, diripiunt, nobis etiam violenter auferunt. Ecclesia tua hæc, Domine, quam priscis temporibus fundasti, et in honore B

A sanctorum Joannis apostoli et Stephani protomartyris tui sublimasti, sedet in tristitia, nec est qui consoletur eam et liberet, nisi tu, Deus noster. Exsurge, Domine Jesu, in adjutorium nostrum, conforta nos et auxiliare nobis. Expugna impugnantes nos. Frange etiam superbiam illorum qui hunc locum et nos affligunt, et affligere cupiunt. Tu scis, Domine, qui sunt illi, et nomina eorum ; corpora et corda, antequam nascerentur, tibi sunt cognita. Quapropter eos, Domine, sicut scis, iustitica in virtute tua ; fac eos recognoscere, prout tibi placet, sua malefacta, et libera nos in misericordia tua. Ne despicias nos, Domine, clamantes ad te, sed propter gloriam nominis tui et misericordiam visita nos in pace, et erue nos a præsentis angustia.

SANCTI FULBERTI

DIPLOMATA.

Digitized by Google